


mundi plaga, esse stellam C. rotam nimirum ex sinistris priorem curruis propositi. In interiori vero mensium serie, dies seu mensis propositus ostendit eam mundi plagam in qua est prædicta stella precise circa mediū noctis illius diei, In hoc tamen proposito nostro indifferenter utimur tum inferiori tum superiori mensium ordine pro hora noctis duodecima.

PROBLEMA TERTIVM

Quenam illæ sint lineæ per quas horæ nocturnæ digitorum adminiculo inquirantur?

Quicquid in præcedenti Problemate de horarum & mensium diuisione scripsimus, de horarum tantum diuisione nunc in sequentibus intelligi volumus. Quo facilius ergo ad veram horarum noctis cognitionem peruenias, circulum mensium hic (de quo supra diximus) in duas partes diuisum tibi ob oculos posui, pars itaque illius dextra versus ortum Solis continet duodecim horas, Numeri horarum illius semicirculi ab imo cæli ad supremum usque per ortum Solis ascendendo sunt designati, In altera vero medietate descendunt rursus 12. horæ, quæ in sequentibus propter horarum discrimina horæ manuales siue dactilicæ appellatur.

Præterea utile fuerit ei qui horam nocturno tempore manu obseruare vult, scire quoniam pacto digitos manuum recte extendere possit, ita ut omnes quatuor digiti æqualem inter se habeant distantiam, & sua extensione angulum semiquadrantis comprehendant, Hoc fermè eo agendum erit modo, Manum itaque sinistram (quia exemplo, ut arbitror, faciliora videbuntur omnia) tene ante faciem tuam, ut hic inferne tibi ob oculos propositum vides, & id vnum obserua, ut extremitatem minimi digiti dextræ manus, in hoc exemplo, ad radicem indicis sinistræ, similiter extremitatem indicis dextræ super extremitatem indicis sinistræ manus teneas, cæterosque digitos pro bona proportione & æquali ab inuicem distantia diiungas, ita, ut si à radice pollicis (quæ sanè polum mundi in hac obseruatione, siue centrum manus representat) quatuor lineas rectas per omnes quatuor digitos dextræ manus secundum longitudinem extenderis, iusta etiã & æqualis digitorum obseruata distantia, inuenies vnde quæque inter digitos horas tres, siue spacia, quæ semiquadrantis siue horarum 3. angulum includant, & cum manu sinistra similiter operare sicut cum dextra fecisti. Quæ iam multis verbis præcipimus hic oculis sunt subiecta.



PROBLEMA QVARTVM.

Ex sola manu quo ingenio horam nocturnam colligas?

Quæcumque in præcedentibus de manuum extensione scripsimus, ea veniunt in obseruatione horarum iam absoluenda, non est itaque opus nouo documento in extensione manuum & semicirculorum obseruatione, præterquam, quod ipsis manuum digitis in obseruatione manuum suos adaptes numeros: utpote, ipsi annulari digito sinistræ in prima manu, primam horam, non noctis, sed dactilicam tantum, medio digito secundam, succedenti, hoc est indici, tertiam, In secunda verò manu minimus digitus in locum indicis primæ succedit, similiter tertiam horam representans, Annularis quartam, medius quintam, index sextam, iam iterum

fit